



LIMANIAE Topographia



BOLONIENSI UMDITIONIS ET CALETENSI VMEXACTA

LIMANIA.

Limaniam ab eius prouincię vrbe præcipua Lemouicensi nomen adeptam esse, haud dubium esse potest. Eam à mundo creato anno octuagesimo secundo supra bis millesimum & sexcentissimum fundatã esse ait Theuetus Cosmographus, id est ante natum Christum, annis mille quadringentis octuaginta duobus. Idque per aliquem Phrygię (quã nos hac atate Natoliam vocamus) populum, cuius procerum vni nomen erat Lemouis: is multis facinoribus egregijs perpetratis, victorijsque obtentis, urbem condidit, quam à se denominatam Lemouicum dici voluit, post cuius fata omnis vicina prouincia idẽ nominis sibi vsurpauit. Quibus hæc antiquitas minus probatur, à limo Limaniam dictam contendunt, quod nimirum agrum habeat limosum. Cæteris ab Alimonijs Alimaniam dici visum est. C. Cæsar Lemouicibus consilio principum imperatum fuisse numerũ decem millium ait, ad bellum contra Romanos gerendũ: meminit & lib. 8. oppidi Lemouici, quod haud obscurum est argumentum vetustatis eius populi, quem hæc etiam dies Limosines, Limaniosque vocat. Gens quamuis ad rem gerendam minus idonea videatur, industria tamen cautaque est ac prudens, ad lucrum faciendum prompta, viuens minimo, quod partim naturã sobrij sint, partim agri etiam locis compluribus (præter secalis quidpiam frumenti ignobilioris speciem, ac castanearum fructus vix quidquam producentis) sterilitate coacti, tenuioris victus ratione vtantur. Ipsa regio Vicecomitatus titulo insignis est, vulgò *Le Vicomté de Limoges*, binosque complectitur Episcopatus, cæteroquin rarissimis oppidis culta, quod nemoribus, syluisque referta, montibus quoque reliqua Gallia magis aspera sit, glebãque vtatur minus fertili, nisi quod castanearum vtrumque vberi prouentu, fœcunda sit, quarum ibidem vulgus negotiationem mercatumque exercet. Residuum eius soli campos, pascuãque nonnulla continet haud fœcunda, nisi quæ Marchæ vicinior est regio, quidpiam fertilitatis præ se ferat, & quæ Austrũ versus regioni Querci propinqua est portio, loco quo *Brins la Saillarde* sita est, id quippe territoriũ fœlicioris est agri, vinetis optimis gaudens. Est & Limouicensis Metropolitanę totius prouincię vrbis circumcirca vicinus ager ferax, ipsãque ciuitas nulli totius Aquitanie secunda, mercatura, negotiatio-

neque florens, quod eò magis mirandum, quò ipsa loco minus commodo sita est. Amnibus nullis vicina, præterquã quòd Viënæ flu. eoq; haudquaquã nauigabili alueo propinqua sit, à cæteris etiam omnibus totius regni mercatibus interuallo longissimo disita. Cùm autem totius huius regionis longitudo leucarum sit circiter 20. latitudo autem octo: Hæc tabula feraciorem tantum, cultioremque eius partem complectitur: frugibus, vino, melle, pecudibus, iumentis, croco, nucibus, oleribus, pascuis, nemoribus, fontibus, fluminibus, balneis, bitumine, lacubus, argenti-fodinis, familijs insignibus, locis munitis, mercimonijsque abundantem, venatũque opulentam. Qui verò in Lemouicinio agros passim irrigant riui fluijque, enumeratu haud faciles sunt, ijque vt plurimum etiam supra fidem piscosi, eorum verò insignioris notæ est Eleuer, vulgò *le Eleuer*, molineo ponte decorus, & confluentia in Ligerim nobilis, vulgò *le Bec d'Eleuer*. Per vniuersam autem, tum hanc, tum huic vicinam Auernorũ prouinciã passim hac illacque vastigantur. Cemenorum montium cacumina syluis creberrimis vestita, ferrique minæris magna ex parte grauida, qua occasione tam Limania quàm illi propinqua perigortia fabrorum ferrariorum officinis nusquam ferè non frequentes visuntur. Atque hæc sunt quæ de Limania referre animus fuit, cuius Terminos cum tabula ipsa neutiquam cõplectatur, vicinarũque regionum vndiquaque ingenti spacio in eam excurrentibus sinuum quodammodo more flexibus, confusi sint, minusque expediti, ad amussim hinc notare, vti in cæteris fieri consuevit, haud in promptu erat. Quibus verò confinij circumscripiti sit, sic accipe. Ab Ortu Bourbonicos, Niuernosque, à Septentrione Bituriges, ab Occasu Perigortios, à Meridie Auergnos habent vicinos. Septimo climati subiacet, quippe cùm medium ipsius prouincię circa Maringues oppidum parallelus percutiat 15. ordine, qui Heterosciorum nonus est, diemque efficit æstiuam prolixiorẽ horarum 15½. Eius quantitas ex supra dictarum leucarum ratione, facillè emergit: miliariorum Germanicorum 40. Italicorum autem 160. longitudo. Latitudo autem Germanic. 16. seu Italicor. 64. leucis singulis si bina tribuas miliaria.


ANDEGAVENSIS DUCATUS

A Andibus seu Andeganēsis populis, quorum Caesar tum alibi, tum libro septimo, ubi Vercingetorico Regi iunctos fuisse, recordatur, procul dubio hac civitas, à qua vicina regio denominatur, nominis originē duxit. Incolæ vernacula sua lingua hodie Angiers & le Duché d'Aniou vocant. Haud secus Cænomannorum, Turonumq; & reliquorum populorum (quorum idem Caesar lib. 7. meminit) nomina etiamnum cum antiquis eorum sedibus vigere deprehenduntur in hoc tractu. Ipsi Le Mans & le Mayne appellant. Ducatus est nobilis, comprehendens Comitatum de Mans, qui & ipse fundita pridem Ducali dignitate ornatus est, subiectis ipsi Marchionatu de Mayenne, Comitatu de la Val, Vicecomitatibus de Beaumont & Ompfront, ac nonnullis Baronatibus ac Praefecturis. Regionis caput est Andegavensis civitas, præter iam dictam dignitatem, etiã Episcopali nomine clara, ac insuper univèrsali studio post Parisiensem Tholosanamq; Academiã, totius Gallia famosissima, à Ludovico eius nominis secundo Andegavensium Duce, ibidem erecta, tempore quo Heydelbergensis Vniuersitas à Ruperto Palatino Comite instituta est in Germania: quibus & Vbiarum seu Coloniensium scholæ coana est. Civitas est antiquissima, eã Sarta flu. alijs annibus auctus, magnarum nauium capax, secat mediam: qua res negotiationi mercaturaq; tum oppidanorum, tum vicinorum Cænomannorum, Normandorum non parum conducit. Post hanc est Cænomannorum urbs, vulgò Mans, civitas grandis & populosa, loco totius propemodũ Gallia amœnissimo extructa, trium fluminum aquis, haud procul ab eius mœnibus confluentibus rigata, Huygonio scilicet, Orna & Sarta. Est etiã ipsa ultra iam dictam auctoritatem, Episcopalis. Sunt & pleraque alia munitissima populosissimaq; Vrbes, Vici, Castraq; Ligeris fluij ripa sinistra adiacet Saumurense

oppidum, quasi sine muro dicas. Montraulbelay Thonezo flu. imminet, quem la Dyue appellant, omnem coniunctum habet. Montcontourium oppidum, ingenti Gallica nobilitatis strage ibidẽ superioribus annis, centesimo nimirum sexagesimo nono supra millesimum, die 3. Octobris edita, famatur. Mauleurier Mayne amni, Beaupreau Leuri flu. adiacent. Regionis incolæ ad rem appropositi sunt, negotiationibusq; apti ac faciendi. Aer loci bonus ac temperatus. Terra omnis armentorũ reiꝰ pecuariae opulentissima, pascuis fecunda, ac fertilis: boum, ouium, porcorum, nec non & volatiliũ aucupium, & ferinarum, ceruorum, leporum, cuniculorum, aliarumq; bestiarum, tum domesticarum, tum syluestrium omnis generis ingens copia ac abundantia. Piscium fluuiatiliũ nulla species penè desideratur. Ipsumq; Andeganēse territorium, cum ob reliquã fertilitatẽ ditissimũ amœnissimumq; existat, ob vina etiã alba, generosaq; cõmendatur. Inter reliquos amnes huc Ducatum rigantes, quorum ingēs est numerus, quinque reliquis nobiliores sunt, quorũ omnium primas sibi vendicat Liger, utpote ad quẽ omnes reliqui deriuentur. Ipse autẽ ex Borea parte Cemenij mōtis procreatus, infinitisq; penè fluijũs auctus, in Occiduum mare, ciuitatibus peragratiss, oppidisq; non paucis, nec modicis, defluus & refluxus delabitur. Hac nota insigniter nobilis, quod Aquitaniam à Celtica Gallia suo dirimit alueo. Alter est Vienna, ceteri his paulo exiliores, Meduana vulgò le Mayne, Sarta & Lorius: qui quidem propè omnes intra Cænomānici agri limites primariam originem sumunt, Sarta & Lorio exceptis: hic enim à Vindosonio, ille verò à Carnutensi agro, non procul à Castriduno scaturiunt: qui tamen post longos terrarum tractus anfractusq; viarum in unũ cõiungentes, nempe ad Meduana cõfluentiã, vulgò appellatã la bouche de Mayne, mediã alluentes Andegavensem ciuitatem vasto latoq; alueo, mercibusq; in utrum-

libet





EXACTA
NOVAQUE
DESCRPTIO
DVCATVS AN
DEGAVENTSIS
QVEM VVLGA
RINOMINE
Le Duché d'Anjou
INDIGITANT

Signum
huius modi notat

- ▬ Ducatu.
- ▬ Comitatum.
- ▬ Vicecomitatum.
- ▬ Baronatum parochialem.
- ▬ Baronatum Ecclesiasticum.
- ▬ Baronatum moenibus cinctu.
- ▬ Dominium seu Castru.
- ▬ Castrum Ecclesiasticum.

Ioannes à Doctinchū
fecit.

Locus præty
de Montcontour
vocati.

Hic rivus in
Migne.